

Blätter fehlen Nr. 1-3  
am 10. 4. 1917 Suchier.

58.

DECANVS  
ORDINIS MEDICI  
IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

**PHILIPPVS CONRADVS  
FABRICIVS**

MED. DOCTOR SERENISSIMI DVVIS BRVNOVICENSIVM AC  
LVNEBVRGENSIVM A CONSILII AVLICIS ANATOMIAE PHY-  
SIOLOGIAE ET PHARMACIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDI-  
NARIVS ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE  
CVRIOSORVM COLLEGA

PROPEMPTICO

NONNVLLAS OBSERVATIONES ANATOMICAS

SISTENTE

AD


DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DOCTISSIMI AC CLARISSIMI

**IOANNIS BARTHOLDI HOFFMANNI**

GOSLARIENSIS

INVITAT.



HELMSTADII  
TYPIS SCHNORRIANIS.



DECAVVS  
ORDINIS MEDICI

ACADEMIA VIIA CAROLINA

PHILIPPVS CONRADVS  
FABRICIVS

MED. BACCALARIVS  
PHYSICVS ET ANATOMVS  
PROFESSOR  
ACADEMIAE CAROLINAE  
PRAGAE

PROEPILOGO

NOVAE OBSERVATIONES ANATOMICAЕ

SISTENS

ET

DISSERTATIONEM IN VAGINALEM

ORBITAM ET GLANDULAM

IOHANNIS BARTHOLOMÆI HOFMANNI

PHYSICI

ACADEMIAE

PRAGAE

MDCCCLXXXIII





**D**um mihi iam ad Dissertationem inaugu-  
lem sollertissimi alicuius honorum Docto-  
ralium Candidati publice inuitandum est,  
qui post Scientiam Aesclepiadeam et in no-  
stra et in illustri Halensi Academia dili-  
gentissime tractatam laborum suorum lau-  
datissimorum praemium nunc apud nos  
bene meritus expectat, nullum functioni  
meae conuenientius thema me eligere pos-  
se arbitratus sum, quam si nonnulla, quae  
mihi fabricam corporis humani natiuam  
exponenti, a consueto Naturae more ablutentia ante aliquod  
tempus obseruata fuerunt, cum beneuolo Lectore commu-  
nicarem, et cum aliorum obseruationibus collata succincte  
explicarem, quum veritates autopsia cognitae hodie in Studio  
Medico utramque paginam conficiant, et illud vix alia rati-  
one, quam sedula artis obseruandi cultura, feliciter promoueri  
queat. Licet enim eiusmodi obseruationum propter infi-  
gnem, qua hodie resplendet, artis Anatomicae praesertim per-  
fectionem, in quibusuis cadaveribus haud adeo larga messis  
esse queat, et nobis sufficere debeat, si pauca tantum ab aliis  
a 2 vel

vel plane nondum obseruata, vel rarius tamen, saltem sub eodem rerum circumstantium complexu, visa in machina humana, cultro Anatomico perscrutata, subinde occurrant, ea ipsa tamen et iucunda varietate et egregio vsu hanc sui infrequentiam refarciunt, quum ex iis, vt alibi probaui, ceu ex totidem nouis datis, doctrina Physiologica non minus ac Pathologica plurimum interdum lucis accipiat, et in ipso artis vsu principia agendi certissima enascantur, cultoribus scientiae salutaris simul via praemonstrata, qua in cadaueribus cum fructu rimandis, abstrusorumque saepe morborum caussis inueniendis incedendum est. Accedit huic, quod tales obseruationes sectione cadauerum publica collectae, plurimum adstantium fide confirmantur, adeoque aliis priuata opera institutis et in publicam lucem editis vtplurimum certiores sint. In quodam scilicet cadauere virili, decollato, aetatis mediae, sub finem Anni 1749. adhuc dissecto, reliqua omnia quidem quam maxime naturali modo se habebant, alter tamen pulmonum lobus vlcere profundo non solum occupabatur, sed totum etiam hoc viscus pleurae, mediastino et diaphragmati vndique arctissime et firmiter adhaerebat. Quanquam vero hoc Phaenomenon satis tritum, et a nobis in aliis quoque cadaueribus, nulla de reliquo pulmonum labe adstrictis, saepius adnotatum fuerit, caussa tamen hanc adhaesionem producens aliquam attentionem meretur, et ad numerum morborum artificum augendum, de quibus doctissima prostat clari *Ramazini* tractatio, non nihil confert. Fuerat enim hic homo vitae quidem agresti deditus, sed tuba venatoria canendo plurimum temporis sui simul consumserat. Hoc vero exercitationis genus, quum absque pulmonum aere repletorum insigni distensione, fortique ac continuata eorum ad pleuram, quodnis thoracis dimidium inuestientem, allisione peragi nequeat; his concretionibus praeternaturalibus ab halitu vaporoso, ad vtrumque pectoris cauum ab arteriis vltimis viscerum contentorum et ipsius pleurae constanter emisso, et in lympham glutinosam facili negotio condensando, productis commodam sane occasionem praebuit.

Post hoc dissecai cadaver feminae infantem proprium <sup>v</sup>  
quot mensium, dum vivebat, lactantis, cruciatibus ulceris  
cacoëthi colli et lenta tæbe, quam oedema vtriusque pedis  
comitabat, extinctæ. Huius in abdomine tota cutis non foe-  
de tantum rugosa erat, sed et insignis ille tractus niger, seu  
fulcus medianus super lineam albam muscutorum abdomina-  
lium in cute decurrens, qui si adest, ad partum prægressum  
cognoscendum in usu Medicinæ forensis subinde in auxilium  
vocatur, hic profundo satis cauo conspicuus notabatur, id  
quod eo minus mirandum, quum hæc femina iamdum ali-  
quot infantum mater fuerit. In primiparis enim, quarum  
fibris cutancis adhuc insignis elater inest, cuius ope cutis an-  
tea distenta breui post partum editum se in pristinum statum  
contrahit, hoc signum frustra sæpe quaeri, ab experientia  
constat, ita ut ad illa tantum foetus clandestina parturitione  
editi indicia pertineat, ex quibus non nisi coniunctim cum  
aliis præsentibus aliquid certi hariolari licet. Partibus deinde  
contentis tam abdominis, quam thoracis et capitis rite disse-  
ctis, nihil insoliti in eis se exhibuit, præter quod glandulae  
mesenterii penitus evanuerint, cadavere licet oedemate cor-  
repto atque indicia circuitus lymphæ turbati exhibente, in  
cuiusmodi hominibus, nisi senio nimis sint confecti, alio-  
quin hæc glandulae si non plane scirrhosæ, insigniter tamen  
plerumque tumidæ deprehenduntur. Ulcere illo colli mali-  
gno curatus inuestigato, ostium eius ad aliquot digitorum  
latitudinem infra auriculam dextram situm erat, pollicem la-  
tum et ad tantæ profunditatis sinum ducebat, ut stilus ei im-  
missus absque molestia ad ipsam faucium cavitatem pertinge-  
ret, alio huius ulceris ductu simul sursum per medium glandu-  
lae parotidis, penitus fere a materia purulenta exesæ, decur-  
rente. Partibus mollibus, maxillam inferiorem obtegentibus,  
dissectis, hoc capitis os in dextro latere vndique carie erosum  
et bis transuersim sponte diffractum inueniebatur, quum tam-  
en hæc femina nullam vim externam perpessa fuerit. Ex  
quo notamine ipsa autopsia cognoscere valebamus, quod licet  
et alia in hominibus aequè ac in aliis pluribus animantibus  
vis

vis moleculas ossium constitutivas inter se ligans, et cuius violentiae externae, antequam frangantur, resistens insignis et miranda sit a) gluten tamen illud nativum, cuius visciditati haec eorum firmitas potissimum debetur, ab acrimonia humorum corporis humani morbosa successu temporis omnino ita destrui queat, ut effectus a nobis adnotatus ultro insequatur. b)

Tertium cadaver a me dissectum erat feminae mediae itidem aetatis, robustae et eufarcae, ad iracundiam facilis, infultibus epilepticis antea saepius tentatae, quae bene pasta et ad sensum ceteroquin sana subito, nemine adstante, mortua conciderat. In hoc reliqua abdominis viscera pleraque satis naturali modo se habebant, ventriculo praesertim cibus insigniter distento, et de appetitu ciborum vigente testimonium edente. Sola vesicula fellea, bile vacua, eius loco ultra 200 calculos exhibebat, angulares, figurae anomalae, quorum maximam partem adhuc seruo, reliquis cum spectatoribus communicatis. Horum alii maiores ad auellanae magnitudinem accedebant, magis quam ceteri lutescentes et friabiles, reliquis et plurimis nigris solidioribusque, ac semen cicēris haud male referentibus. Omnes aquae inieci fundum petebant, exsiccati deinde et candelae ardenti admoti flammam concipientes, et multum odoris sulphurei spirantes. Systema autem totum venae portae atro sanguine turgebat, in ovariiis hydratidibus aliquot, ovi columbini magnitudine, haerentibus, et initia hydropis ibi formandi constituentibus c) Ad thoracem

- a) Videatur experimentum Observationibus Edimburgensibus Tom. I. Num. X. insertum nec non celeb. HALEs. Haemastatic. Experiment. XXII. §. 29.
- b) confer. ill. VAN SWITEN Comment. in Herm. BOERHAAVE Aphorism. de cognosc. et curand. morb. Tom. I. §. 344. pag. 567. et B. SCHAARSCHMID. Relation. Med. et Chirurg. Part. I. Num. LXIV.
- c) Stupendum ovarii hydropem vide sis in Excellentiss. BASSII Observuat. Anatom. Chirurg. Med. Dec. IV. Obf. VII. nec non apud Illustr.



cem progressus nihil ibi praeter Naturam offendi. Ad caput hinc deproperans et vestigia haemorrhagiae cerebri, quae vasis sanguiferis disruptis et principio neruorum compresso, mortem repente induxisset, ibi deprehendere gestiens, arterias eius venasque aequae ac sinus durae meningis sanguinis quidem orbas, sed aëre distentas et integras conspiciebam, ita ut ne gutta quidem sanguinis vel feri extravasati in aliqua encephali parte adpareret, ipsa quoque substantia cerebri tam firma

Illustr. TREW *Commerc. litter. Norimberg. Ann. 1734. Hebdom. 44. p. 388.* Mihi quoque constat exemplum primiparae, postea febre hectica defunctae, quae post infantem tenerrimae valetudinis editum, plures deinde cum lochiis excreuit ingentes vesicas aqua repletas, quae vtrum cum ouulo foecundato ex ouariis per tubas Fallopianas ad vterum primum delatae, et postea ibi adnatae et auctae fuerint, an autem, quod vero propius videtur, ex ipsa vteri substantia et ouario sic dicto Nabothiano productae, difficile iudicatu est. Quod vero ad exortum hydatidum in visceribus corporis humani tam frequentem attinet, causas huius mali non vnas esse, sed pro diuersa viscerum structura variare, res ipsa loquitur. Sic in ouariis ex ipsis ovulis, in reliquis autem visceribus ex arteriis vel venulis lymphaticis aneurismate vel varice laborantibus fortasse oriuntur, membranis horum vasculorum ultra diametrum naturalem quidem dilatatis, sed simul crassitie sua nonnihil adauctis, prout illud in capsulis tumorum cysticorum, in membrana cellulosa subcutanea formatorum, contingere constat. Prouenire quoque possunt hydatides a vasis lymphaticis alicubi sub tunica communi viscerum exili hiatu disruptis, et liquorem contentum ad telam cellulosam subiectam sensim emittentibus, quapropter vtplurimum in illis hominibus frequentes adsunt, qui obstructione visceris alicuius laborant, et in quibus transitus lymphae impedita est, vel hydropis actu praesentis signa deprehenduntur. Vel ex ipsis denique vasis sanguiferis, cellulosa vasorum tunica latice aquoso repleta, cavitatque vasorum ita compressa, ut nihil eius supermaneat, haud raro enasuntur, ut *Friedericus RVVSCHIVS* illud *Theaur. Anatom. VI. N. CIV.* vberius explicat, ita ut integra inde viscera in hydatides mutata subinde occurrant. Confer. quoque ipsius *Observat. Anatom. XXV.* et *Observat. Anatom. Chirurgic. XVII. XXVII. XXXIII. XLVI.*

firma et sicca, ut eius dissectio et demonstratio rite, et ut artis est, sine molestia institui et absolui potuerit. Quod iam ad considerationem Physiologicam et Medicam huius cadaveris attinet, quemadmodum lapillorum generatio in pluribus aliis quoque corporis humani partibus et regionibus hucusque occurrit, et ab harum rerum curiosis hinc inde adlegatur, ita illa calculorum in vesicula fellea generatio itidem saepius hucusque et frequentius fere, quam calculi renalis et praesertim vesicae, minime in hominibus nulla diacta vinosa vel alia ad calculum vesicae et renum disponente ventibus, observata fuit d). Hinc immortalis ille Friedericus HOFFMANNVS a frequentia horum calculorum occasionem sumit novum quoddam morbi genus, et id quidem optima ratione Systemati suo Pathologico - practico inferendi, remediaque, quibus huic malo mederi queat, indicandi, quae inter aquae minerales palmas tenent, lapillos illos vel resolventes, vel immixtos saltem ex cystide fellea per ductum cysticum et cholidochum ad canalem intestinorum promouentes, ut deinde per aluum excerni queant: licet quod interdum eiusmodi calculi etiam in ipso canali intestinorum demum oriuntur, observationes ab Illustri BÜCHNERO Miscell. Physico - Medic. Mathemat. Anno 1730. Mens. Mai. Class. IV. Artic. 7. et 8. allegatae et descriptae probent. Prout hi calculi biliosi in eo quoque cum renalibus calculis adprime conveniunt, quod sicut ab his vretes, ita ab illis ductus cysticus et cholidochus, dum transeunt, insignem aliquando amplitudinem nanciscantur, cuiusmodi exempla alibi a me relata fuerunt.

Neque modus, quo hi lapilli in nostro subiecto epilepticam induxerunt, comprehensu adeo difficilis. Constat enim a sapien-

d) v. gr. ab illustri MORGAGNIO cuius de figura et reliqua indole horum lapillorum lites, cum celeb. BIANCHI agitatae, haud ignotae sunt, vid. Adueriar. Anatom. Animaduers. 28. nec non Epist. Anatom. I. pag. 48. et 49. Duo vero millia calculorum in virus hominis vesicula fellea deprehensa vid. Commerce. litt. Norimberg. 1735. Hebd. 52. p. 411.

sapientissimo fabricae humanae Artifice situm viscerum abdominalium ita constitutum esse, ut in vniuersum non sibi tantum mutuo auxilientur, seque inuicem foueant, et loco contineant, sed quod praecipue ad vesiculam felleam spectat, ut bilis cystica hepatica magis amaricans et efficacior, pro copiosiore ciborum concoctu difficilium assumptione, a ventriculo distento fundumque cystidis felleae tunc premente maiori quoque copia versus intestinum duodenum propellatur, sicque chyli copiosioris elaborationi et perfectioni eo magis par esse queat. Eadem itaque haec partium constitutio naturalis isti feminae casti morbum illum induxit, ipsamque denique morti tradidit. Facile enim patet, quod vesicula fellea corporibus pluribus durioribus et angulatis, qualia lapilli illi erant, repleta, et in amplius ordinario spatium distenta, quaeuis ventriculi paullo maior ab assumtis inflatio eo efficacius illam comprimere debuerit, et eo molestiorem tunicarum eius sensibilibus irritationem, et quandam veluti contusionem produxerit, plexu hepatico ac toto simul Systemate neruorum, aliisque visceribus, hepatis vicinis, propter continuitatem membranarum, in consensum tractis, pluribusque spasmodicis ac epilepsia denique excitata cum insultu apoplectico ultimo superueniente. Prout ab eadem irritatione bilisque hepaticae, collo vesiculae felleae a calculis obstructo, copiosiori ad intestinum duodenum effusione huiusque insigni vellicatione inde exorta, causa alterius illius phaenomeni, in hac femina, dum vivebat, obuii, iracundiae scilicet praecipitis, quoque deriuanda venit. Materiem vero his calculis procul dubio suppeditauit sanguis iusto plus spissus, moleculis terreis luxurians, adeoque bilem nimis viscidam, in solidum corpus, accedente aliqua eius in cystide mora, et partis fluidioris per ostacula venarum cysticarum absorptione, facile coagulandam, largiens, qualis in Systemate venae portae post mortem in hoc cadauere vbique occurrit.

Praecipuum autem, quod hac obseruatione confirmatur, illud erit, quod non omnis Apoplexia vera et celeri euentu funesta extrauasionem sanguinis aut feri, intra cavitatem cranii

<sup>x</sup>  
nii vel ad ipsos cerebri ventriculos effusi, pro causa habeat, vt multi Medicorum autumant, sed quod praeter illam apoplexiam hypochondriacam, venae sectione largiori aliisque remediis conuenientibus sanabilem, quam cum supra laudato SCHAARSCHMIDIO Part. I. N. LXIX. in sola vasorum cerebri distensione, absque solutione continui concurrente, quaerimus, et cuius mihi quoque in artis Medicae vsu aliquot exempla occurrerunt, adhuc aliud genus huius morbi detur, defectum sanguinis in cerebro potius coniunctum gerens, et vniuersalem Systematis neruorum, post spasmos et conuulsiones praegressas, atoniam pro causa agnoscens. Hinc verissima sunt, quae THOMAS BARTHOLINVS Histor. Anatom. Cent. II. Cas. XCII. scribit, dum epilepsia, inquit, per inferiorum partium consensum raro sui in cerebro relinquit vestigia, et optima fide nititur nunquam satis celebrandus MORGAGNIUS Aduersar. Anatom. VI. Animaduers. 84. quando quod in apoplexia ex conuulsione orta saepe nihil praeternaturale in cerebro post mortem inueniatur, affirmat. Idem de apoplexia syncopali annotauit LANCISIUS de repentinis morbis Obs. I. adeoque in scholio subiuncto cum Guilielmo BALLONIO Medicos prudenti consilio admonuit, vt caueant praedicere se deprehensuros aliquid in capite illorum, qui ex cerebri morbis interierunt.

Quum postea cadauer infantis vnus circiter anni dissecarem, thorace aperto ac mediastino pericardioque remotis, hoc peculiare occurrit, quod arteria carotis dextra non principio communi cum eiusdem lateris subclauia, vt alias fieri solet, exoriretur, sed aeque ac carotis sinistra immediate ex ipso aortae arcu prodiret, arteria subclauia dextra post exortum subclauiae sinistrae a principio trunci aortae descendens proxime supra originem ductus arteriosi BOTALLI, adhuc peruii, demum suppeditata, cuius exortus similes varietates, ab aliis et dexterrimo praecipue quondam CASSEBOHMIO visas, celeberr. BOEHMERVS in pereleganti Programme Ha-lae 1741. edito descripsit. e) In eodem infante arteriae umbilicales adhuc pulposae et molles erant, ad aliquot pollices supra vesti-

vesicam vrinariam transuersim dissectae paucas guttulas sanguinis emittentes, vt in foetu eas reperiri indicauit vir illustris et laude mea maior HALLERVS Icon. Anatom. Fascic. IV. Annot. ad Tab. II. Numer. 13. vracho aliquod etiam adhuc cauitatis non penitus oblitteratae vestigium exhibente. Nervus ischiadicus extra peluim egressus in altero crure duplex, in altero vero indiuisus.

Denique in subiecto sexus sequioris, annosa macie confecto, effectus senii in machinam corporis humani, et quomodo haec se ipsam destruat, et morborum illorum senilium consuetorum, quos nemo illustri quondam G. W. WEDELIO Exercit. Medic. Philolog. Dec. III. Exercit. III. elegantius recensuit, mortisque naturalem quandam necessitatem inducat, humoribus tenuioribus dilatis, vasisque capillaribus coalitis, ac omnium adeo partium firmarum illius rigore et immobilitate sensim inducta, sese nobis praecipue exhibuerunt. In vtraque enim maxilla ne vnicum quidem dentis alicuius et alueoli superstitis vestigium deprehendebatur, ita vt gingiua obiectae vbique et margine acuto praeditae fuerint. Cranium denudatum tamen suturas tam coronalem, quam sagittalem et lambdoideam adhuc satis conspicuas monstrabat, secus ac in simili de reliquo cranio a RVYSCHIO Oper. Anat. Obseru. LXXXII. depicto conspicitur, vt pote cuius suturae, fortasse ob aetatem proveciorem, penitus euanuerant. Interea consuetus effectus eiusmodi iacturae dentium in nostro quoque cadauere se exerebat, facie multum breuiori reddita, quam proportionis leges exposcunt, id quod non potest non in talibus subiectis manducationem ciborum quam maxime difficilem reddere, quum praeter dentium iacturam muscoli temporales et masseteres, adductioni maxillae inferioris ad superiorem destinari, simul flaccidiores reddantur, et multum de vi sua, quae alioquin ex demonstratis egregii BORELLI insignis

b 2

(e) Ambas carotides communi ductu breuissimo ex arcu aortae ad latus dextrum orientes vidit B. HOMMELIVS Commerce, litter. Norimberg. Ann. 1737. Hebdom. 21. pag. 162.

gnis est, amittant, linea eorum directionis simul nonnihil mutata. Abdomine aperto, ventriculus vix intestini duodeni amplitudinem aequare obseruabatur, liene quoque infra magnitudinem dimidiam naturalis molis imminuto. Canalis intestinorum reliquus ac maxima mesenterii portio sphaeculum v-bique exhibebant, aequae ac uterque ren. Vterus vero vndique scirrhusosus vel potius cartilagineus hinc inde ossificationis initia exhibens ac minimae magnitudinis, fere vt in puellis impuberibus, omni cauo destitutus, sed ob defectum liquoris, parietes eius lubricantis, ab extremis arteriarum secernendi, coalitus, f) ouaria plane exsiccata et exsucca instar duorum corporum fimbriatorum oblongorum, vix dimidium minimi digiti latorum. g) Thoracis reliqua viscera occurrebant naturalia, sed uterque cordis ventriculus cum truncis vasorum principalium insignibus polytis adiposis et multo cruore atro obstructi, reliquo vasorum Systemate maximam partem vacuo et collapsio. In capite praeter ea, quae de futuris cranii supra indicata fuerunt, omnia quoque reliqua erant sana et illibata, vtroque tamen plexu choroideo ex meris fere hydatidibus conflato. Musculi totius corporis macilentis quidem, sed satis firmi et aponeurotici.

Quodsi itaque singula phaenomenorum genera, in hoc caeuere occurrentia, vno quasi intuitu ob oculos nobis ponamus,  
ex.

- f) Concretionem oris vteri eiusque parietum in grauida 40. annorum adnotarunt celeberr. Auctores Obseruat. Edimburg. Tom. III. N. 19. Vterum scirrhuso-cartilagineum exhibet Magnificus Academiae Caesareae Naturae Curiosorum Praefes, illustris NÜCHNERVS Miscell. Physico-Medic. Mathem. Ann. 1728. Class. IV. Artic. 7. p. 1282. et seqq. Vterum vero in vetula in minimam molem contractum et osseum tradit laudatissimum Commercium litterar. Norimberg. An. 1731. Semestr. poster. p. 208. et vterum denique totum durum et scirrhusosum, sed praeternaturalis magnitudinis, referunt Act. Medic. Berolinens. Dec. II. Vol. IV. p. 71.
- g) Ouarium in foetu ex obseruatione ill. MORGAGNI elegantissima, turgidula, et si ad aetatem respicias, maiora sunt, quam in adultis, idem vero in infantibus, aliquot hebdomades natis, adhuc obseruatur.

ex illis praeter alia, superius dicta, adhuc perspicimus, cur functiones et viscera, propagationi speciei humanae destinata, illa sint, in quibus, nisi quidem aliae causae morborum extraneae hunc familiarem Naturae ordinem turbent, aetatis profectionis incommoda in sexu infirmiori omnium primo et efficacissime se exerunt, tenerrima quippe et mere vasculosa fere fabrica conflatis, et optimam humorum temperiem et copiam requirentibus, adeoque si hi ipsi nimis spissi et tenaces euaserint, statim coalescere incipientibus ac sensum exsiccatis. E contraria parte reliqua membranaceae magis structurae viscera e. gr. ventriculus cum intestinis, mesenterio, vesica urinaria cet. magis ad sphacelum in grandaevis utriusque sexus inclinant, ita ut vix aliquod eorum cadauer cultro Anatomico huiusque subiecerim, etiamsi morbo chronico defunctum fuerit, quod non alicubi manifesta illius vestigia exhibuerit, quia nempe fibrae vasorum sanguiferorum in his membranis nimis exsiccatae et fragiles redditae a sanguine lentiori, eis impacto, facile pluribus in locis disrumpuntur, et liquidum contentum ad interstitia cellulosa membranarum copiose effundunt, ob defectum motus in citam putredinem abiturum.

Quod iam ad natales honestissimos nec non vitae et studiorum rationem, quam clarissimus CANDIDATUS noster tenuit, attinet, ille mihi sequenti vitae curriculo illorum copiam fecit.

Auram primam vitalem ego IOANNES BARTHOLDVS HOFFMANN in ciuitate libera imperatoria, quae salutarur, Goslaria, die IV. ante Idus Ianuarii A. O. S. MDCCXXVII. hausi. Patrem colui IOANNEM BARTHOLDVM HOFFMANN, virum honestissimum, et in cudendis monetis in vrbe Ducali Brunouicensi Zellerfelda operam nauantem. Mater vero erat ANNA MARGARETHA ex stirpe vetusta SIEMENS orta. Patre carissimo iam anno MDCCXXXVIII. sum orbatus, matre dilectissima itidem anno MDCCXLVIII. beate defuncta: quum studia mea in illustri hac Musarum sede Helmstadiensis vix inchoassem. Hi optimi Parentes mei nunc beati, quam diu in vniuersis erant, operam atque curam adhibuerunt omnem, ut statim a prima mea

aetate religionis Christianae atque pietatis fundamentis imbu-  
 erer, qua propter me institutioni viri cuiusdam integerrimi  
 commendarunt. Aetate adaueta Studiis Theologicis me di-  
 carunt, ob infirmitatem vero corporis aliud consilium et sen-  
 tentiam inibant, artemque Aesclepiadeam discendi vt me dica-  
 rem studio iusserunt, ita tamen vt litteris humanioribus men-  
 tem prius probe instruerem. Tradiderunt igitur primo insti-  
 tutioni virorum clarorum in patrio Lyceo illas docentium.  
 Vt vero animo et desiderio meo plura audiendi et discendi  
 fatisfieret, Hanoueram petere concessum est, vbi a Domino  
 Directore Gymnasii illustris Celeb. BÜNEMANNO et Cl. Re-  
 ctore BREMERO in ordinem primum sum receptus. Diu ta-  
 men ibi commorari non valens, ob matris meae valetudinem  
 minus prosperam, penates Patrios repetere coactus sum. Sua-  
 su matris meae, curatoris, amicorum, Academiam post ali-  
 quod tempus salutavi. Contuli ergo me anno MDCCXLVIII.  
 ad inclytam IULIAM CAROLINAM, ibique a summe venera-  
 bili Domino CHRISTOPHORO TIMOTHEO SEIDELIG S.S.  
 Theologiae D. et P. P. O. Facultatis suae Seniore, Abbate Lutte-  
 rae, reliqua in numerum ciuium academicorum die XXVII. Apri-  
 lis sum receptus. Studia vero mea vt rite pertractare possem,  
 scientias Philosophicas primo statim semestri aestiuo continu-  
 au. Logicam et Metaphysicam a Celeberr. D. IOANNE NI-  
 COLAO FROBESIO perspicue explanatam audiui: deinde vsus  
 sum Praeceptore illustri HEISTERO, operationes Chirurgi-  
 cas, Botanicen et praecepta Physiologica secundum institutio-  
 nes Boerhaauii tradente, Materiam autem medicam Ill. GERIKE  
 mihi tradidit ad ductum libri *Dalii*, qui Pharmacologia Me-  
 dica inscribitur.

Sequenti semestri hiberno Praeceptores mihi fuerunt  
 HEISTERVS, GERIKE et FABRICIVS. Ille docuit fascias  
 Chirurgicas recte nominare decenterque applicare, partemque  
 alteram institutionum Boerhaauii explanauit; iste dogma phy-  
 siologicum de generatione hominis: hunc multa cadauera magno  
 commodo publice secundum artis regulas secantem, et has  
 partes perspicue et facillimo modo explicantem vidi et audiui,  
 eius-



eiusque porro praelectionibus in Dispensatorium Pharmaceuticum Borussiae Brandenburgicum interfui. Philosophica continuavi ducibus excellentissimo FROBESIO et clarissimo DOMMERICHIO, nunc Rectore Guelpherbytano. Aestiuo sequenti An. MDCCXLIX Doctores iterum habui eos in erudiendo, quibus semestri praegresso sum usus. Ill. HEISTERVS tradidit partem theoreticam Chirurgiae suae et fundamenta Botanica, ac plures rariores plantas in Splendidissimo horto Botanico demonstravit. B. GERIKE Freundii Emmenologiam explicuit: Excellentiss. FABRICIVS artem formulas Medicas rite concinnandi tradidit, et Verdriesii Tractatum de aequilibrio mentis et corporis planum reddidit; Physices vero tam dogmaticae quam experimentalis praelectiones apud Celeberrim. FROBESE audiui.

Flagrans deinde cupiditate alios quoque Doctores publicos audiendi et maiores sensum in arte Medica faciendi progressus Halam prope Salam petii, ibique ab excellentissimo Ioanne Ioachimo LANGIO albo studioforum infertus sum. Hic illustrem Dominum Andream Eliam BÜCHNERVM Patronum mihi conciliare studui, id quod ex voto mihi quoque cessit, hincque constitui, cum in toto medico cursu ducem eligere. Praelectiones eius itaque frequentavi magno cum ardore et usu, Physiologicas, diaeteticas, pathologicas, therapeuticas, quas habuit in compendia sua: Scharandaei librum de modo et ratione vivendi aegros explicantem quoque audiui, nec non materiam Medicam Schulzii, et praescriptiones formularum. Publice Celeberr. BASSIVS artem obstetricam ad ductum libri Hoornii, me docuit: Mathematicam puram Excell. LANGIVS: Moralem Philosophiam Perillustri L. B. de WOLFF: Semeiocraticam illustri ALBERTI, ordinis Medici Senior: Chemiam Excellentissimus Fridericus HOFFMANNVS filius.

Quum annum integrum et quod excurrit Halae commoratus fuerim, ob valetudinem corporis mei domum redire coactus sum, ubi vero non diu haesi, sed almam Elmopolinam repetii, ut praelectiones iam auditas repeterem et novas audirem. Astronomiam, Chronologiam et Geographiam nec non physicam curiosam hic me docuit. Excellentiss. FROBE-

SIVS

XVI

SIVS: Excellentiss. KRÜGER Physiologiam: FABRICIVS  
Medicinam forensē: denique Illustrem HEISTERVM Tra-  
ctatum St. YVESII de morbis oculorum explicantem au-  
diui, multisque operationibus Chirurgicis, a Celeberrimo hoc  
Viro dexterrime et felicissime institutis, interfui.

Postquam hoc modo per aliquot annos ad artem saluta-  
rem cum emolumento aegrotantium faciendam se idoneum  
reddere conatus fuisset, animunq̄e omni meliori doctrina ex-  
ornare, Facultati nostrae ad consueta examina pro Gradu Do-  
ctoris obtinendo se obtulit, inque illis ita se nobis exhibuit,  
vt nulli dubitemus, honores et priuilegia Doctoris Medicinae  
ei conferre. Fiet illud crastina die, habita prius Dissertatione  
inaugurali de *miris quibusdam motibus spasmodico-convulsivis va-  
gis*, proprio Marte conscripta, sub meo Praesidio, quo factō  
ipsum vna cum quatuor aliis clarissimis viris, qui hoc anno a  
me priuatim iamdum, praestitis praestandis, Doctores Medici  
in Facultatis nostrae consessu creati sunt, vi muneris PROCAN-  
CELLARIATVS, a MAGNIFICENTISSIMO CANCEL-  
LARIO ET NVTRITORE huius Academiae MVNIFI-  
CENTISSIMO SERENISSIMO DVCE ET PRIN-  
CIPE NOSTRO ad hunc actum clementissime mihi de-  
mandati, publice Doctorem Medicinae renuntiabo. Quem  
vero actum vt Magnus Academiae PRORECTOR, Amplissi-  
mus SENATVS ACADEMICVS, HOSPITES et CIVES Lit-  
teris fauentes praesentia sua splendidiorem reddere velint,  
Facultatis nostrae nomine, obseruanter rogo. P. P. die  
XXIX. Decembr. A. O. R. MDCCLI.



01 A 6513


ULB Halle 3  
003 090 280



sc

VD 78  
VD 177







58.

DECANVS  
ORDINIS MEDICI

IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

PHILIPPVS CONRADVS  
FABRICIVS

MED. DOCTOR SERENISSIMI DVICIS BRVNOVICENSIVM AC  
LVNEBVRGENSIVM A CONSILIIIS AVLICIS ANATOMIAE PHY-  
SIOLOGIAE ET PHARMACIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDI-  
NARIVS ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE  
CVRIOSORVM COLLEGA

PROPEMPTICO

NONVLLAS OBSERVATIONES ANATOMICAS

SISTENTE

AD

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DOCTISSIMI AC CLARISSIMI

IOANNIS BARTHOLDI HOFFMANNI

GOSLARIENSIS

INVITAT.

HELMSTADII  
TYPIS SCHNORRIANIS.